

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

De

PROHIBITIONE AL-  
TERIUS TANTI AD AN-  
NUOS REDITUS REALES  
PER CONTRACTUM EMPTIONIS ET  
VENDITIONIS CONSTITUTOS  
NON EXTENDENDA,

Quam

SOLO DEO PRÆSIDE

Ex

AUCTORITATE ET INDULTU

*Excellentissimi, Amplissimi & Consultissimi*

JCTORUM ORDINIS

In inclyta & Celeberrima Regia Acade-  
mia Teutoburgensi,

Pro Summis in Utroque Jure Honoribus ac Privilegiis  
Doctoralibus rite consequendis

*Publico Eruditorum Examine subjicere*

GOTTLOB FRIDRICH HILDEBRAND,  
ERBACO - FRANCUS,

Illustris Judiciæ Aulicæ Hanoviensis Advocatus Ordinarius.

*Ad Diem Februarii MDCCXXXVII.*

---

DUISBURGI ad RHENUM,

Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi.

DISSERTATIO JURIDICA  
IN AUCTORIALIS

De

PROHIBITIONE AL-  
TERIUS TANTUM AD AN-  
NUOS REDITUS REALES  
PER CONTRACTUM EMPTIONIS ET  
VENDITIONIS CONSTITUTOS  
NON EXTENDENDA.

Quam

SOLO DEO PRAESIDE

Et

AUCTORITATE ET INDIVIS

Facultatis, Aulicis & Consistorialis

ACTORUM ORDINIS

In Imperio & Castellania Regis Arago-

niae Tarraconensis,

Exo Summi in Univerſo Jure Honoribus ac Privilegiis

Doctoribus nec censuratis

Facultatis Universitatis

GOTTLOB FRIEDRICH HILDEBRAND

ERRATO - TRANſUS,

Magistri Juris Aulicis & Consistorialis Advocatus Ordinarius

Alibi

DUISBURGI

Typis Johannis Schaefferi, Academiæ Typographi.



INCLYTÆ S. R. I. LIBERÆ REI-  
PUBLICÆ FRANCOFUR-  
TENSIS

ILLUSTRI AC SPLENDIDISSIMO  
MAGISTRATUI,

*EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
CONSULTISSIMIS, PRÆNOBILIS-  
SIMIS, GRAVISSIMISQUE*

*VIRIS,*

DN. PRÆTORI,

DNN. SCABINIS,

DNN. CONSULIBUS,

DNN. SYNDICIS,

ET RELIQUIS ILLUSTRIS REIPU-  
BLICÆ FRANCOFURTENSIS

DNN. SENATO-

RIBUS,

PUBLICÆ LIBERTATIS  
DEFENSORIBUS STRENUIS-  
SIMIS, VERÆ RELIGIONIS  
TUTORIBUS, JUSTITIÆ SACER-  
DOTIBUS, MUSARUMQUE  
PATRONIS,

DOMINIS SUIS AC MECOENATIBUS  
PLURIMUM VENERANDIS AT-  
QUE GRATIOSISSIMIS;

Hæc dissertationis suæ Inau-  
guralis paginas multa cum  
observantia ac animi sub-  
missione, consecrat atque  
dedicat,

AUCTOR.





## PRÆFATIO.



Disputationem & quidem Inauguralem conscripturus animo mecum constitui, eam pro viribus ingenii mei exiguis de materia quadam exarare, quæ partim aliquantum utilitatis affert, partim vero etiam ab aliis nondum sufficienter, & ut ita dicam, quasi ad nauseam usque ventilata est. Elegi igitur thema de *Prohibitione Alterius Tanti ad annuos redditus Reales per contractum emtionis & venditionis constitutos non extendenda*, cujus vindicias nunc publico eruditorum examini cum aliis eo pertinentibus sisto. Tu autem Benigne Lector, si reluctante atque invita Minerva hicce labor suscipiendus materiæ dignitati atque raritati minus sat prudenter ac erudite correspondeat, conatum tamen meum a nimis rigida censura immunem pronuncies, est, quod etiam atque etiam rogo.

### §. I.

Quemadmodum in Jure nostro Civili quam plurima ad certum tempus, locum, modum, formam & sic deinceps exquisitè determinata videmus, ne nimirum longe lateque vagari animus Judicis necessum habeat, sed sit, in quo ut determinato ac constituto tutus acquiescat, ac proinde

inter partes coram ea litigantes certam sententiam ferre queat; ita etiam vel ad evitandam infinitudinem, vel ad removendam ambiguitatem cursum usurarum certis terminis ac limitibus in eo reperimus circumscriptum. Regula etenim hic exurgens & cujus veritatem omnes largiuntur, hæc est: *Usura ultra Alterum Tantum peti & exigi non possunt nec debent.* l. 26. §. 1. de *condict. indeb.* l. 27. §. 1. C. de *usur.* addat. CARPZ. P. 1. C. 30. d. 26.

## §. II.

Cum autem nullam fere regulam habeamus, quæ non multas ac varias suas exceptiones ac limitationes patiat, sic quoque dispositionem illam, quæ usuras finibus Alterius Tanti inclusit, consimiles successu temporis expertam esse eventus, juris nostri interpretes varie docent, casusque ab hac constitutione regulari excepti communiter recensentur, 1.) In usuris pupillaribus per l. 7. §. 12. de *administrat. tutor.* addat. MULLER. ad *Struv. exercit.* 27. *tb.* 53. ad *not.* 5. 2.) In usuris rei judicatæ per l. C. 3. de *re judicat.* vid. BERLICH. *dec.* 30. n. 9. 3.) In usuris, super quibus lis mota & contestata fuit, per l. 35. de *usur.* & præcit. CARPZ. in *quest. Crim. part.* 2. q. 92. n. 51. & qui ejusmodi sunt plures, quorum uberrimam discussionem peregit TABOR. in *præsid. debitor. infelic. part.* 4. art. 1. 2. 3. 4. & 5. pro parte quoque GERHARD. NOODT, in *tract. de fœnor. & usur.* lib. 2. cap. 7. 8. 9. & 10. ad quos me referam.

## §. III.

Verum enim vero ex jure nostro innotescit, inter Doctores maxime controversi, an hujus prohibitionis Alterius Tanti exceptio ad annuos redditus Reales per contractum emtionis & venditionis constitutos æque pertineat nec ne? ratio est instituti, hanc celitem facere meam, hincque



que certis ac paucis quibusdam Thesisibus succincte explicare & demonstrare, quod ejusmodi annui Reditus toto coelo ab usuris differant, consequenter istud decantatum Alterum Tantum usurarium ad eos applicari nequeat, quin potius eorum cursus Alterum Tantum excedat, imo indefinitus sit. Faxit Deus feliciter.

§. IV.

Quod ut rite ac distincte peragatur, ante omnia homonymia phraseos Alterius Tanti evolvenda, tunc, quod per *annuos redditus* pariter ac emtionem & venditionem intellectum volo, præmittendum, & postmodo, quomodo illi varie distinguantur, subjiciendum venit.

§. V.

Dicitur autem *Alterum Tantum* quasi *tantum aliud*, ut in *l. 13. pr. ff. de liber. & posthum. her. instituend.* ubi JCrus JULIANUS loquitur: *secundum voluntatem testantis filius Altero Tanto amplius habebit, quam uxor, & uxor Altero Tanto amplius, quam filia.* Cum quo significatu convenit *l. 7. C. de jur. fisc. & l. 18. §. 3. in fin. ff. de aliment. & cibariis legand.* Adest igitur *Alterum Tantum* usurarium, quando usuræ sortem adæquarunt, quod hodie in permissis quincuncibus post decursum viginti annorum contingit. *Alterum Tantum* aliquando etiam & sæpius *Dupli* nomine indigitatur, ut in *l. 10. C. de usur.* ubi Imperatoris ANTON. verba: *usuræ per tempora solutæ non proficiunt reo ad dupli computationem.* Cui *Duplo* tamen fors inest, hinc FR. HOTOMANN. *de usur.* recte scribit: *In Duplo hoc duo simpla contineri, unum scilicet rei principalis, alterum vero accessionis.* Nec novus hic intellectus vocis *Dupli*, quæ sæpius sortem & rem ipsam includit, ut videndum ex *l. 45. de Adil. Edict. l. 48. de evict. l. 48. ad L. Falcid.* BORCHOLD. *de usur. cap. ult. n. 19.*

§. VI.

§. VI.

*Annui Reditus* sunt compositum quoddam ab *annuatim* & *redeundo*, eo, quod anno uno in alterum solvendi redeant. PAUL. BUSIUS *Lib. 1. cap. 1. §. 1. de ann. redit.* FRANZK. *Lib. 1. resol. 1. n. 18.* Sumitur autem *annuus reditus* dupliciter 1.) *in genere & lata significatione* pro omni reditu, commodo atque emolumento, quod ex rebus in patrimonio nostro existentibus quotannis percipitur, ita, ut usuras pecuniæ, fructus prædiorum, pensionem quarumlibet locatarum rerum hoc nomine vocari videamus, *l. 77. de V. S. l. 17. & l. 25. de us. & usufr. legat.* 2.) prout hic & *in sensu stricto pro pensione annua*, germanice *eine jährliche Schuld*/ quæ ex prævio contractu emtionis & venditionis alteri solvitur. Sicut nunc emtio & venditio est contractus consensualis de re pro certo pretio alteri acquirenda; ita *emtionem venditionem annuorum redituum* recte describo: quod sit *contractus consensualis de jure recipiendæ annua pensionis, ex re vel obligatione aliena pro certo pretio constituendo, & germanice nuncupatur der gülden Kauff.* *Arg. l. 1. §. f. l. 2. §. 1. ff. de contrab. emt. vendit. junct. c. 1. & 2. de emt. vend. Extravag. commun.*

§. VII.

*Jus* autem circa hos *reditus* nobis competens definire placet, quod sit *facultas exigendi pro certo pretio certam rem vel pecuniam ex fundo alieno vel ab alio nobis ita obligato diebus statis pro tempore vel perpetuo, quam diu premium non refunditur, nos vero istud jure repetere non possumus.* Quam definitionem idcirco latiorems posui, ut non tantum ad ejus sub se comprehendentes species *Redituum Realium & Personalium* quadret, sed etiam inde horum *redituum* appareat differentia specifica ab obligationibus & cæteris rebus qualemcunque cum eis cognationem habentibus,



ribus, mutuo præcipue usurario, a quo tamen, quatenus differant, differentia infra docebitur. Dicitur autem

1.) *Facultas*, quæ utpote in jure consistens tangi non potest, adeoque rem incorporalem esse, patet *ex §. 1. f. de reb. corp. & incorp.* Dicitur 2.) *Exigendi*, quo præsupponitur, quod venditor aliquid *facere* teneatur, solvere scilicet pensionem. Hinc differentia specifica *servitutis* ab annuo redditu reali est in proparulo; nam, si negari nequeat, huncce in multis cum servitute convenire, & ad ejus instar ad-paria æstimari debere, cum non minus hic ac servitus rei alienæ inhæreat, re vera tamen servitus appellari non potest. Non Realis, cum non prædio, sed homini acquiratur, & dominus rei reddituariæ in illa nihil patiatur, sed facere, solvere nempe ex illa ipsa pensionem, obstrictus sit, quod vero contra servitutis essentiam est, utpote, quæ tantum in non faciendo vel patiendo consistit, *l. 15. §. 1. ff. de servitut.* Nec personalis, quoniam jus annuorum reddituum ad heredes transit, servitus autem personalis cum persona, cui debeat, extinguitur. *§. 13. f. de usufr. junct. pr. §. de us. & habit.* Dicitur 3.) *pro certo pretio certam rem vel pecuniam*, quia tam mercis quam pretii quantitas non dependet a contrahentium determinatione arbitraria, sed in legibus suam jam habet taxatam formam, ne scilicet ultra quincunces, h. e. ultra quinque in singula centena annuatim recipiantur, sed, quod supra accipiatur, usurarium sit. *Vid. Reformat. Polit. August. de anno 1548. tit. 17. §. 8. item Policy-Ordnung zu Franckfurth de anno 1577. tit. 17. §. 3.* Dicitur 4.) *diebus statis*, quia redditus plerumque statis certisque anni diebus exsolvi solet, potest tamen & mensstruus esse & bimestris, trimestris ac semestris, prout inter partes conventum. *cit. BUSIUS §. 4.* Dicitur 5.) *pro tempore*, quando pura

contractus sit temporalis, quousque secundum contractus legem reddituum perceptio durare debeat. Dico 6.) *quamdium pretium non refunditur*, stat etenim apud venditorem pro lubitu, an & quando facultate reluendi uti, & a præstando redditu se liberare velit, cum econtra Emtor pretium unquam repetendi omni potestate penitus sit destitutus, per sanctionem modo allegatorum Recessuum Imperii §. 8. & 13. *ibi cit.* Dico 7.) *Jure repetere*, nam unicus casus, in quo reclamatio procedit, existit, si scilicet in casum moræ a venditore commissæ speciali conventionione data fuerit emtori facultas id repetendi. *Vid. Recess. Deputat. Spirens. de anno 1600. §. 35.* Moram vero committi, si per duos aut tres annos redditus non solvatur, asserit MARTIN. *de jur. Cens. cap. fin. n. 24.*

§. VIII.

Dividitur autem annuus redditus a Doctoribus varie. Generica & princeps divisio & ad scopum meum pertinens sumitur a subjecto, quod sit vel *realis, vel personalis*; hic est, qui fundatur *in persona*, ille, qui constituitur *in re*, & subdividitur ab objecto, quod possit esse vel *pecuniarius*, qui in pecunia, vel *fructuarius*, qui in fructibus, puta, frumento, vino, oleo penditur.

§. IX.

Quibus vocum enucleationibus ac definitionibus, pariter ac divisionibus præmissis, nunc demum ad statum controversiæ rite formandum viam habeo applanatam. Quæstio est igitur: an annui redditus *reales* per contractum emtionis & venditionis constituti *Alterum Tantum* excresecant? qui autem redditus, cum sint vel *jam soluti* vel *adhuc solvendi seu restantes* de illis primo loco respondendum veniet.

§. X.



§. X.

Constat ex *l. 10. C. de usur.* usuras jam solutas in duplum non computari, sed creditorem, etsi hæ duplum æquent aut excedant, nihilominus usuras proporro exigere posse: & quanquam huic legi per aliam nempe legem 27. §. 1. *C. eodem titulo extantem*, item & per *Novellas 121. & 138.* tanquam enatum jus novissimum abrogatum esse multi contendunt, inter quos sunt: TABOR. *de alt. rant. p. 1. art. 3. §. 5.* WESENBEC. *in Comment. C. de usur. n. 21.* DONELLUS *ad dict. leg. 10. & 27. Cod.* ANTON. PEREZ. *in parat. ad eund. loc. n. 16.* & CARPZ. *p. 2. c. 30. d. 20.* secundum tamen effatum Imperatoris JUSTINIANI in §. 4. & 8. *Const. Deo auctore. de concept. ff. & §. 15. Constit. Tanta de confirmat. ff. §. 3. Constit. Cord. nobis. de Emend.* non facile antinomix in Corpore juris concedi, sed hæ apparentes quovis modo conciliari debent, quo, & ut Pandectis per Codicem derogetur, vid. §. 3. *Constit. de Justin. Cod. confirmand.* & CARPZ. *p. 1. q. 2. n. 14.* præsupposito, responsio ad objectam legem 27. est in promptu, in hac nempe regulam poni, in illa allegata *l. 10.* autem exceptionem haberi. Vid. Illustriss. de COCCEJ. *in jur. controvers. p. 2. libr. 22. ad quast. 6.* & quod attinet oppositas Novellas, illæ glossa haud sunt illustratæ, hincque auctoritate destituuntur, utpote usu nunquam receptæ. Vid. DUCK. *de us. & autorit. Jur. Civ. lib. 1. cap. 4. §. 15.* GROENW. *ad dict. Novell.* Prælaudat. Dnus de COCCEJ. *cit. loco.* PAGENSTECHEER. *in Irner. injur. vapulant. coit. 28. §. 7.* proinde dispositio *l. 10.* usuras solutas a dupli computatione excludens, utpote per legem aliam derogantem non immutata merito & quidque alii ex imaginaria quadam æquitate in contrarium adstruere sibi assumant; retinenda & prævalitura est. Et sane hæc lex summa sua



nititur ratione, nam usuræ solutæ formaliter ut tales consideratæ, non sunt debitum, proinde non amplius existunt, & sunt nihil, consequenter, cum non entis nulla sint prædicata atque effectus, nec proficiunt aut proficere possunt, ad dupli computationem. Vide eleganter & pluribus ita differentem præcit. PAGENSTECHEER. *loc. eod.* §. 11. cujus sententiæ praxin quotidianam defendit Camera Imperialis apud BLUM. *Chiliad. Sent. Cam. n. 455.* RODING. *Pand. Cameral. L. 1. tit. 20.* MIND. *de Mandat. Jud. Lib. 11. cap. 21. n. 6. & cap. 73. n. 21.* in dubio vero jure dubiave praxi tutius est, sequi opinionem Camerae.

§. XI.

Ex quibus, cum evictum sit, usuras solutas in Alterius Tanti limitibus non subsistere, argumentor, nec nostros annuos redditus solutos intra Alterius Tanti cancellos inclusos esse. Etsi enim, sicut antea dictum, & magis infra demonstrabitur, usuræ ab annuis redivibus maximo agmine differunt, ac proinde ab illis ad hos argumentatio non procedit, habemus tamen *ex Nov. 160. & cap. 1. & 2. Extrav. comm. de emt. vendit.* distincte intellectum, circa annuos redditus plane *jus singulare* constitui, plusque favoris his quam illis adtribui. Quod si igitur annui redditus usuris multo favorabiliore sunt, & illis præ hisce privilegium quoddam concessum esto, profluit sequela, quod, cum æque ac usuræ rei nostræ sint provenientes accessiones atque emolumenta *per §. 6.* non possint esse deterioris conditionis, quam usuræ, hincque, quodcunque favorabile hæc contineant, ad illos protrahendum sit, quoniam aliter privilegium ipsis indultum esset damnosum, qualis eventus autem ab intentione concedentis abhorret, siquidem, quod lege permittente aut ex singulari beneficio alicui



alicui contingit, non ita, ut in poenam aut detrimentum provisi recidat, interpretandum est. *l. 4. C. ad L. Jul. de adult. l. 8. de Prator. Stipulat.* ENENCKEL. *de privileg. l. 1. cap. 6. n. 7.*

§. XII.

Transio itaque ad annuos redditus *non solutos seu adhuc restantes*, quos, sive in frumento sive pecunia constitutos itidem ultra Alterum Tantum & in infinitum usque praestari & solvi debere, pariter affirmamus.

§. XIII.

Thesis hæcce probatur I.) ex analogia juris, quoniam emtio & venditio annuorum reddituum est *verus contractus*, cum omnia ejus *tria essentialia* hic concurrant, consensus nempe, pretium & merx in ipso jure seu facultate percipiendi Reditum ex re aliena consistens. Et quia omnes res corporales & incorporales, mobiles & immobiles regulariter objectum emtionis & venditionis sunt, nemo dubitabit nec dubitare potest, quin & nostri annui redditus in commercio emtionis & venditionis existant. Quæ cum firmiter stent præsupposita, concludo: Si in *omnibus emtionibus & venditionibus justis* contingit plerumque, quod pretium solutum fructus ex merce perceptos diuturnitate temporis duplo, triplo, imo decuplo & amplius superet, sequitur, quod & in emtione & venditione *annuorum reddituum* pretium solutum mercem (seu ipsos redditus) diuturnitate temporis duplo, triplo, imo decuplo & amplius superare possit. Atqui vera est propositio prior, utpote per experientiam quotidianam se evincens; sic etenim emitur servitus, prædium, seu domus pro certo pretio, per dilationem temporis autem fructus exinde percepti deductis deducendis pretium ultra duplum, tripulum, decuplum & supra excrefcunt. Ergo & vera est

propositio posterior. Quæ eo certior ac infallibilior stabilitur, ac *nusquam in jure* reperimus, emtionem & venditionem annuorum redituum *deterioris conditionis* aliarum rerum emtionibus & venditionibus judicari, & in illis non æque ac in his lucrum mercis ultra pretii alterum tantum currere posse. Jam vero quod nullo jure prohibitum, de genere permissorum esse oportet.

§. XIV.

Thesis mea probatur 2.) & per expressam constitutionem Juris Civilis nempe *Nov. 160.* ubi Imperator Justinianus procul dubio per ratiocinia mea in §. antecedenti adducta motus declaravit, quod leges & constitutiones, usuras fortis quantitatem ascendere vetantes, ad negotium annuorum redituum minime extendendæ sint. Equidem TABOR. *de ale. tant. part. 3. art. 8. §. 4. 6. 7. 8. & 9.* multos recensuit autores, qui, dictam *Nov. 160.* de solis Civitatibus & Rebuspublicis intelligendam esse putant, quoniam rationes in ea allegatæ favore earum niterentur, Civitatumque tantummodo conservationem respicerent: sed, missis horum opinionibus, ipsa cum debita attentione instituta perlectio & præprimis accurata penetratio ejus in verbis: *Illam etenim (nempe Constitutionem de non exigendis usuris ultra alterum tantum) de creditoribus conscriptimus, & qui in ea comprehenduntur, casibus, Prasens vero species illam non attingit, siquidem hoc magis annuo reditui, quam usurarum prestationi simile videtur.* reddit quam manifestissimum, annuos reditus ibi in genere opponi usuris, consequenter non tam favorem Civitatis, quam potius differentiam inter usuras & annuos reditus istius novæ Constitutionis unicam rationem fuisse, hincque, cum etiam ad alios creditores & singulos Cives hæc discrepantia usurarum & annuorum redituum suffulta ratio quadret, hos  
itidem



itidem in ista Nov. comprehendendos fore. Vid. JUL. PACIUS *ad leg. 10. C. de usur. n. 9.* CARPZ. *in Asyl. Debitor. cap. 1. §. 28. 333. & 334.* GUDELIN. *de jur. noviss. lib. 3. cap. 3. loco: utrum hoc jus ad redditus.* Leges namque scire, non est verba earum scire, sed vim & potestatem earum tenere.

§. XV.

Thesis mea probatur 3.) etiam ex Jure Canonico scilicet per *cap. 1. & 2. Extrav. comm. de emt. vendit.* ubi summi Pontifices Martinus V. & Calixtus III. in duabus specialibus Bullis emtionem & venditionem annuorum reddituum expresse, & ut quandam *rationabilem a centum annis & supra, & a tanto tempore, cujus contrarii memoria hominum non extaret, observatam consuetudinem* approbavere, & a vitio usurario alienam declararunt, cum sanctione eam in perpetuum durare, ideoque exceptionem Alterius Tanti usurarii non admittere. Et, quod probe notandum, illi, qui ejusmodi annuos redditus, confingentes eos usurarios & illicitos esse, proporro solvere se recusant, appellantur ibi cupientes cum alterius damno locupletari. Non ignoro, multos & inter eos ipsum TABOREM *ditt. loco art. 3. per tot.* strenue defendere, has Constitutiones pariter non ad privatos Creditores s. Emtores, sed modo ad personas Ecclesiasticas & corpora spectare, quod inde probare putant, quoniam illorum neque in expositione facti, neque ipsa quoque concedendæ confirmationis causa ulla mentio fiat. Ast hocce non obstante, sentio contrarium, id sequentem in modum concludens. Pontifex Calixtus fundamentum decisionis suæ, prout verba Bullæ docent, in ipsa determinatione Martini Pontificis, cujus vestigiis omnino se inhærere, profiteretur, collocavit, hic vero Martinus in verbis: *Nos igitur hujus-*  
*modi*

modi supplicationibus inclinati, quia etiam ex relatione dilecti filii nostri Guilielmi tituli sancti Marci Presbyteri Cardinalis, cui negotium hujusmodi cum peritorum consilio commissimus examinandum, comperimus contractus hujusmodi juridicos & juxta determinationem Doctorum licitos fore. Ad hujusmodi ergo ambiguitatis tollendum dubium in praemissis, praefatos contractus licitos & juri communi conformes declaramus. Redituum venditionem & eorum ultra alterum tantum perceptam quantitatem non simpliciter, sed cum relatione ad Jus Civile, quatenus scilicet ei sint conformes, licitam & a contractu usurario alienam pronunciauit; cum nunc vero per §. anteced. evictum habeo, quod in Nov. 160. tam creditores privati quam Universitates & Corpora subintelligendi veniant, prono alveo sequitur, tam Martinum quam Calixtum in dictis suis Constitutionibus singulos creditores æque includere atque comprehendere voluisse.

## §. XVI.

Thesis mea probatur 4.) itidem per publicas Imperii Leges. Nam in Recessu Imperiali de anno 1500. tit. 30. itemque Reformat. Politic. Augustan. de anno 1530. tit. 26. §. 8. & Recess. August. de anno 1548. tit. 17. §. 8. nec non Reformat. Polit. Francofurt. de anno 1577. tit. 17. §. 9. emptio & venditio annuorum redituum & quidem in genere absque ulla distinctione, an Emtores sint privati vel non, expresse confirmata atque permessa, insuperque etiam certus modus ac forma illi adscripta est.

## §. XVII.

Thesin meam probo 5.) quoniam in hisce allegatis Constitutionibus Imperii ordinatum, Emtorem nunquam pretium repetere & recipere posse, si non venditor sponte sua id offerat. Ob hoc vero pactum perpetuitatis æquitati



tati maxime repugnaret, si Creditor seu Emtor, postquam duplum accepit, in posterum a jure percipiendi præcludi, facultate repetendi autem destitutus atque privatus esse debeat, quod tamen periculum creditor de usuris in mutuo, per revocationem & exactionem Capitalis in tempore sibi prospiciens, evitare potest, proinde tali jacturæ non subjectus est, ac consequenter vel ex hac sola inter usuras & annuos redditus emergente notabili differentia juris diversitas statuenda, & in his non ut in illis Alterius Tanti ratio admittenda erit. Vid. CARPZ. in *assl. Cred. general. cap. 1. n. 338. & 339.*

## §. XVIII.

Thesin meam probo denique etiam 6.) per communem recentiorum celebriorumque Doctorum opinionem, usum fori, & quotidianam observantiam. Sic etenim ex communi Pragmaticorum sententia decidit BERLICH. *1. dec. 30. n. 5.* scribens: *Si quis annuas pensiones, census & redditus emat, ut pro centenis aureis ex fundo aliquo vel domo singulis annis solvantur census, vel pensionis nomine quinque aurei, emtio ejusmodi, (sive redditus constituentur in pecunia sive in frumento, sive aliis rebus) bene valet, ac census illi solvi debent, etiamsi post multa annorum curricula excendant pretium & Alterum Tantum superent.* Et experientiam adeo testatam & notam esse prædicat, ut præjudiciorum allegatione non opus esse existimet. Videantur etidem CASPAR. RODERIC. *lib. 1. de ann. redit. quest. 4. per tot.* GAIL. *lib. 2. obs 7. n. 8. & seqq.* BORCHOLD. *de usur. cap. 4. n. 33.* FRIDERIC. MINDAN. *de Process. lib. 2. cap. 72. n. 3. & seqq.* CARPZ. *in prax. forens. p. 3. C. 24. d. 12. n. 5. & seqq. & d. 19. n. ult.* FRANZK. *lib. 1. resol. 1. n. 59.* LAUTERB. *in comp. ff. tit. de usur. & fruēt.* LINCK. *disp. de ann. redit. disp. 2. §. 1. n. 2.* STRUV.



*exerc. ad ff. 27. §. 53.* STRYCK. *de caut. contract. sect. 2. cap. 8. §. 14.* itemque BRUNNEMAN. *ad Cod. lib. 4. tit. 32. ad leg. 27. n. 6.* supra citat. Dominus de COCCEJ. *in jur. controuv. part. 2. lib. 22. ad quest. de ann. rediv.* qui omnes thesin meam ejusque praxin viridem uno ore confirmant. Ita quoque in Camera Imperiali quotidie pronunciari, Scriptores Camerales multis præjudiciis corroborant.

§. XIX.

Nihilominus autem dantur multi Eruditi tam ex numero JurisConsultorum quam Theologorum & secundum longam seriem recensiti a sæpius allegato TABORE *in tr. de alt. tant. part. 3. art. 1. §. 6. & seqq.* qui iustitiam Emptionis & Venditionis nostrorum annuorum reddituum in dubium vocant, & eam penitus illicitam imo damnosam esse exclamant; inter quos posteriores est ipse LUTHERUS *in exhortatione an den Christlichen Adel teutscher Nation de anno 1520. tom. 1. fencns. extant.* ubi scribit: Das aröste Unglück teutscher Nation sey gewißlich der Zinskauff. Et paullo post: Führwahr es muß der Zinskauff ein Figur und anzeige seyn/ daß die Welt mit schwebren Sünden dem Teuffel verkaufft sey/ daß zugleich zeitlich und geistlich Guth uns muß gebrechen/ noch mercken wirs nicht. Et verum est, apud cordatiores atque pios Creditores frustra ea de re allegari leges Civiles, Jus Canonicum, Constitutiones Imperii, Praxin & Observantiam, & quæ sunt alia statuta humana, si Jus Divinum & naturalis æquitas in contrarium adsint. Erit igitur de exigentia causæ, nostros redditus ab ejusmodi impetitionibus liberare, quod, ut fieri possit, rationes, quæ istos Autores in ejusmodi invectiones promovere, momento suo ponderandæ veniunt.

§. XX.



§. XX.

Harum vero rationum aculeus latet in sequentibus:  
 1.) Nostrorum Redituum Emtionem & Venditionem re ipsa & effectū nihil aliud esse, quam mutuū usurarium sub alio nomine palliatum: proinde 2.) eandem rem, quæ in mutuo interveniat, esse & objectum redituum venditionis, hincque & ex eo nullam interesse discrepantiam. Ita & 3.) in reditibus sorti quotannis quid accedere, quicquid autem sorti accedat, usuram esse. 4.) Autem in omni emtione pretium transferri in venditorem, hic autem non, sed manere emtoris, in ejus bonis computari, & ab eo transferri pro lubitu in alium. Tantum abesse 5.) ut Venditor pretium suum faciat, ut potius pro eo pensionem solvere debeat, aut neminem pro re sua pensionem præstare. Econtra 6.) in omni venditione id agi, ut emtor fiat dominus, hic vero non, nam vendens pensionem nihil transferat in eumentem, sed remaneat dominus. 7.) Mercis dominium in Emtione perpetuo & irrevocabiliter transire in Emtorem, hic non, cum ista a venditore pretio restituto pro lubitu repeti queat. Hincque 8.) iniquum esse, quod Emtor non æque facultate, pretium revocandi, gaudeat, sed deteriori conditioni ac venditor expositus sit.

§. XXI.

Quæ omnes adductæ rationes, licet primo intuitu faciem relevantiæ præ se ferre videantur, nequaquam tamen, accuratius inspectæ, nostrorum redituum venditionem ad effectum injusti reducere valent, sed omnes facili opera refelli poterunt. Prima etenim a non discrepantia mutui desumpta, est falsissima, quippe mutuū ab emtione & venditione nostrorum redituum quintuplici modo differt. 1.) Causa formali, cum ex principiis juris quem-

quam latere haud possit, mutuum rei & pecuniæ ipsius traditione demum contrahi, *pr. f. quib. mod. re contrah. oblig. l. 2. §. creditor. de reb. cred.* Alit emtionem reddituum solo consensu simul atque de merce & pretio constat, perfici. *pr. 7. de emt. & vendit. 2.*) Fine, mutuum enim saltem unius gratia, hæc vero utriusque causa contrahitur. 3.) Effectu, illic siquidem unus tantum modo, hic vero uterque obligatur. 4.) Quod illud natura sua sit gratuitum *l. usura. d. V. S.*, hoc autem non, sed in eum celebretur finem, ut pensiones solvantur pro pretio. Et denique 5.) adjunctis proprietatibus, sic in mutuo pecunia ita datur, ut creditori petenti in eadem generis quantitate restituatur, *l. 2. de reb. cred.* in nostrorum reddituum venditione autem agitur id, ne emtor sive creditor pretium unquam repetat. *Allegat. Recess. Imper. de annis 1548. & 1577. §. 8. & 3.* Jam vero si venditio annuorum reddituum forma, fine, effectu, natura & proprietatibus a mutuo distincta est, certe non modo nomine, sed & re ejus differentia haud aliter ac evicta esse potest. Vid. PAUL. BUSIUS *de ann. red. lib. 1. cap. 8. n. 4. & seqq.* Quod atinet Secundam rationem oppositam, nego ejus tam universalitatem quam consequentiam, licet enim pretium, ut in aliis venditionibus fieri debet, & hic in pecunia numerata subsistere possit, id tamen non involvit juris necessitatem, cum & alia mobilia objectum redditus existant, ut fructus, *l. 2. §. verum. C. de Sacrosanct. Eccles.* vel etiam pulli, anseres, vituli, aves, agni, pisces, coeteraque animalia, vel id quotidiana comprobante experientia. Sed & id, quod contingens est, ponam, nimirum, ut pro pecunia, quæ pretium emtionis est, ejusdem generis certa quantitas annua pendatur, & tali modo res in mutuo obvenientes etiam hic occurrant, qualis sequela est, exinde  
inter



inter mutuum & venditionem reddituum nullam obesse discrepantiam. Sane tali argumento procedente, pari nexu inferri oporteret, locationem & conductionem haud differre ab emtione venditione, & depositum non a commodato, quod autem, cum absurditatem sapiat, id, unde hoc sequebatur, perinde absurdum erit. Considero rationem Tertiam, illa itidem est falsa, sorti namque nihil accedit, cum hæc sit ipsum jus redditum percipiendi, non autem pecunia, seu pretium venditori pro hoc jure concessio solutum, & quo pro hoc jure constituto hic utitur. Opposita ratio Quarta ejusdem est fallaciæ, & similiter confundit pretium cum merce seu ipso jure percipiendi, quod quidem in alterum transfertur seu transferri potest, minime vero istud, utpote ab emtore nunquam revocabile, sed in perpetuum alienatum. Cujus momenti & est Quinta ratio, pari modo pretium cum merce s. jure redditum accipiendi pessime confundens, nam venditor non pro pretio, quod omnino suum fecit, pensionem solvit, sed hoc facit pro jure, per hoc suum sibi factum pretium emtori acquisito. Vid. MARTIN. *de Censib. cap. 3. n. 157.* quanquam in se etiam maxima laboret falsitate, ac si nemo pro re sua pensionem solvere debeat, dupondiis ex jure non ignoto, de bonis emphiteuticis canones, feudilibus servitia, censiticis censum, superficiariis solaría præstari. Sextæ rationi pro parte jam satisfactum est per responsionem ad quartam, considerando, venditorem quidem dominum rei permanere, nihilominus autem emtori pro pretio ab illo soluto jus percipiendi annuum redditum constituere. Quod jus res est incorporalis a reitu persolvendo & rei corporalis naturam sustinente specificè distinctum, atque separatum. Vid. GAIL. *lib. 2. obs. 7. n. 9.* Sicut vero, si quis emit servitutem in re aliena, venditor

dominus prædii manet, & emtionem servitutis idcirco illegitimam non reddit, ita similiter de emtione redituum judicandum est. Ratio Septima iterum est falsa, negando, irrevocabilitatem mercis venditioni pro requisito essentiali inesse, venditione sub lege redimendi facta ex jure per *l. 2. & 7. C. de pact. int. emt. & vendit.* celebratissima contrarium protinus probante, pacto etiam inter contrahentes inito, ut pretio non soluto res sit incemta, nemini haud ignota. *l. 1. 2. 4. ff. de leg. Commiss.* Et ratio Octava & ultima plane nihil relevat, quilibet enim rerum suarum liber moderator & arbiter est, *l. 21. C. de Mandat.* hinc etiam tota illa dispositio a contrahentium consensu merito dependet; neque subest iniquitas, quoniam contractus iste ad juvandam debitoris sive venditoris inopiam introductus, *d. l. 2. de pact. int. emt. & vend.* Si itaque hic ad pinguiorem fortunam levatus rem suam reluere potest, quare illi hoc reservare atque concedere prohibitum censebimus? Econtra nisi hæc lex adjicitur, contractus emtionis & venditionis redituum evadit in usurarium, cum tunc non amplius emtio, sed mutuum sit, ac proinde accessio usurariam pravitatem contineat. dict. GAIL. n. 14.

§. XXII.

Stat ergo firmo talo, nostros annuos reditus reales tam solutos quam restantes *prohibitionem Alterius Tanti usurarii* haudquaquam incurrere, sed duplum, triplum & quadruplum ac in infinitum usque excrefcere posse. Superesset ideo, ut in ordine & de reditibus personalibus, de quibus idem sentio, a multis autem æque & in realibus exsuperationem Alterius Tanti concedentibus Doctõribus contrarium affirmatur, edissererem, quemadmodum mihi animus fuit, ast quoniam angustia temporis *ultra Alterius Tanti* progredi, non permiffura est, *in ejus limitibus*



*tibus* abrumpere me oportet, & hic pedem figo, Sum-  
 mum Numen supplex adorans, ut multoties exsuperans  
*Alterum Tantum* peccatorum nostrorum cum infinito  
 Altero Tanto immensæ suæ misericordiæ at-  
 que gratiæ compensare velit.

## COROLLARIA.

### I.

**L** *Egatis Civitatum Imperialium competit Præ-  
 rogativa præ Ablegatis Nobilitatis Imme-  
 diatæ.*

### II.

*Hodie omnis Tutela est Dativa.*

### III.

*Omnes Illustres Tutores ad instar privatorum a  
 Summis Imperii Tribunalibus confirmandi  
 sunt.*

### IV.

*Prohibitio, ne usuræ usurarum exigantur, non  
 pro-*

*procedit in annuis redivibus.*

V.

*Annus Reditus Realis re peremta extinguatur.*

VI.

*Annui Reditus Reales in Concursu creditorum ad  
Classem primam collocandi sunt.*





n fervitatis...  
 de emtione...  
 m est fallia, uer...  
 ni pro requirto...  
 nendi facta ex ju...  
 vidit. celebratissi...  
 etiam inter con...  
 s fit inemta, ne...  
 mmiss. Et ratio...  
 ibet enim rerum...  
 n. C. de Mandat...  
 entium consensu...  
 s, quoniam con...  
 ditoris inopiam...  
 vend. Si itaque...  
 m suam reluere po...  
 cedere prohibitum...  
 icitur, contractus...  
 in usurarium...  
 n fit, ac proinde...  
 dict. GAIL. n. 14.

